ABC ABC ABC

Noverint universi quod nos domna Agnes de Benavent Dei gratia humilis priorissa monasterii de Sixena et dompna Maria Lopiz subpriorissa et dompna Elmengaudis sacrista
et dompna Guillelma de Sancto Poncio camerera et Saura claustrera et frater Petrus Burrellis prior et frater Martinus de Copons comendator et frater Guillelmus
del Vilar claustrarius cum voluntate et assensu expresso totius capituli dominarum et fratrum eiusdem monasterii damus et concedimus et in continenti tradimus vobis dompno
Dominico sancti Vincentii militi commoranti Osce ad tributum diebus omnibus vite vestre domum nostram de Ciguera cum tota hereditate sua et cum suis pertinentiis
universis seu iuribus ad dictam domum et nostrum monasterium predictum ratione eiusdem domus pertinentibus et debentibus pertinere quoquo modo et ratione. Taliter damus
vobis ad tributum diebus vite vestre eundem locum cum pertinentiis suis quod detis nobis et successoribus nostris annuatim in festo sancti Iohannis Baptiste mensis iunii ducentos solidos monete
Iaccensis usualis in Aragon. Item damus vobis una cum predicta hereditate quinque animalia cum apparamentis suis ad laborandum que fuerunt extimata communi
extimatione ducentos et quinquaginta solidos Iaccenses et utensilia que sunt in domo de quibus fuit factum inventarium per alfabetum divisum cum quatuor cubis
que valebant decem solidos. Item concedimus vobis cellarium nostrum quod habemus in Osca quod vocatur cellarium de Sixena cum sex doliis tenentibus quadraginta me-
tretas quod possitis ibi facere vinum de Ciguera quamdiu vobis placuerit sine aliquo impedimento et contradictione nostri et nostrorum. Et retinemus tria dolia pro
nostro vino ibidem faciendo. Et adhuc retinemus quod si indiguerimus aliis doliis ad opus nostri vini ibidem faciendi quod possimus in dicto cellario ponere eadem sine
aliqua contradictione vestra. Item volumus quod si non indiguerimus predictis tribus doliis que nos ibi retinemus et vos indigueritis eisdem quod possitis ea tenere et
ponere ibi vinum vestrum sine impedimento et contradictione nostra et nostrorum. Et hanc concessionem cellarii predicti vobis facimus ratione multorum serviciorum gratuitorum que
nobis et monasterio predicto fecistis et cotidie facere non cessatis. Ita tamen vobis dictam domum et cellarium cum aliis vobis damus quod melioretis eadem et non
deterioretis in aliquo tenendo etiam domos de Ciguera et cellarium predictum in pedibus scilicet parietes et tecta et non possitis ea aut partem eorundem
vendere dare impignorare nec obligare nec modo aliquo alienare alicui. Et post dies vestros in continenti predictam domum cum tota hereditate integra et cella-
rium cum omni melioramento ibidem facto et cum tantis animalibus predictis equivalentibus cum suis apparamentis et cum doliis vel hiis equivalentibus
et cum utensilibus vel hiis equivalentibus et cum quatuor cubis vel precio eorundem omnium sicut extimata possimus nos vel successores nostri
libere et quiete emparare nostra propria auctoritate et habere sine obligatione aliqua et honere debitorum si que fuerint inventa ibidem. Sinautem quod successores
vestri teneantur et remaneant obligati nobis solvere et successoribus nostris taxationes predictas. Et reddere et dolia predicta meliorata et ne in aliquo deteriorata
et utensilia prout continentur in instrumento inventarii. Determinamus si tempore quo fructus colliguntur vel antea vos mori oporteret quod sit in manu succes-
sorum vestrorum colligere fructus et redditus illius anni integre. Et solvant et teneantur solvere nobis et successoribus nostris predictum tributum termino predicto. Et si hoc
facere noluerint quod nos et successores nostri possimus et habeamus potestatem colligendi et recipiendi omnes fructus et redditus predicte domus sine aliqua
contradictione restituendo tamen predictis successoribus vestris semine si quod seminatum fuerit tempore mortis vestre in possessionibus domus predicte. Et ut predicta maiorem gaudeant
firmitatem sigilla nostra scilicet priorisse et capituli pendentia duximus apponenda. Testes huius rei sunt in capitulo presentes frater Michael et frater Petrus Sen-
tisi. Actum est hoc XIIII kalendas Augusti anno Domini M CCC XX secundo.

Iohannes de Iunta Sexenensis notarius publicus qui hoc scripsit et suum signum ... apposuit cum in ·iij· linea rasis litteris emendavit ubi dicitur concedimus
et in ·vi· linea ubi dicitur diebus vite et in ·XXiiij· linea supscripsit ubi dicitur predicta.

14/4

1284-7-20

[illegible]

D. ii. 4322

1284

C. de huesca de Thudo

t 24

a. 1284 Julio 20

nº 3 - lig 2, nº 3 - III